



CURA  
SALUTIS,  
DRAMA  
PARTHENIUM  
DATUM,

CUM

REVERENDISSIMUS, PERILLUSTRIS,  
AC GRATIOSUS DOMINUS,  
DOMINUS

JOANNES FRANCISCUS  
SCHEENCK L. B. DE  
STAUFFENBERG,  
ECCLESIAE CATHEDRALIS AUGUS-  
TANÆ CANONICUS CAPITULARIS,  
UTI ET ECCLES. HERBIPOL. ET  
RATISBONENSIS.

PRÆFECTUS  
MAJORIS CONGREGATIONIS  
LATINÆ

B. V. MARIÆ  
AB ANGELO SALUTATÆ  
PROMULGARETUR  
AUGUSTÆ VINDELICORUM  
M. DCC. LXIII.

Typis Josephi Antonii Labhart p. m. Viduae, Reverendiss.  
ac Sereniss. Princip. & Episcopi Augst. Typographæ.

# ARGUMENTUM

**D**edere duo ex aula Theodosii Magni primæ nobilitatis viri , qui apud Treviros ab Imperatore venationi vacante digressi, nec unquam vel ad seculum,sive aulam sunt regressi. Rei seriem S. Augustinus L. 8. Confess. c. 6. prosequitur his verbis : *illos vagabundos irruisse in quindam casam, ubi habitabant quidam servi cuius (Narrationem ad Deum dirigit) Spiritu Pauperes, qualium est Regnum Celorum; & inventisse ibi codicem, in quo scripta erat vita Antonii.* Quam legere cœpit unus eorum, & mirari, & accendi, & inter legendum meditari, arripere talem vitam, & relicta militia seculari servire tibi. Erat autem ex eis, quos dicunt agentes in rebus. Tunc subito repletus amore sancto, & sobrio pudore, iratus sibi conjectit oculos in amicum, & ait illi : dic, queso te, omnibus istis laboribus nostris quo ambimus pervenire ? quid querimus ? cuius rei causa militamus ? majorne esse poterit spes nostra in palatio, quam ut amici Imperatoris simus ? & ibi, quid non fragile, plenumque periculis ? & per quot pericula pervenitur ad grandius periculum ? & quandiu istud erit ? amicus autem Dei, si voluero, nunc sio. Dixit hoc, & turbidus parturitione novæ vite, reddidit oculos paginis, & legebat, & mutabatur intus, ubi tu videbas, & exuebatur mundo mens ejus , ut mox apparuit. Namque dum legit, & volvit fluctus cordis sui, infremuit aliquanto, & discrevit, decrevitque meliora ; jamque tuus, ait amico suo : ego iam  
abripi

abrupi me ab illa spē nostra, & Deo servire statui,  
& hoc ex hora hac, in hoc loco aggredior: te si  
piget imitari, noli adversari. Respondit ille, ad-  
hærere se socio tanta mercedis, tantèque militie,  
& ambo jam tui ædificabant turrim sumptu ido-  
neo, relinquendi omnia sua, & sequendi te. Tunc  
- - - quærentes eos, devenerunt in eundem lo-  
cum, & invenientes admonuerunt, ut redirent;  
quod jam declinasset dies. At illi narrato placito,  
& proposito suo, quoque modo in eis talis voluntas  
orta esset, atque firmata: petiverunt, ne sibi mo-  
lesti essent, si adjungi recusarent. Isti autem ni-  
bilo mutati a pristinis, fleverunt sc̄ tamen, ut di-  
cebat ( qui factum narrabat Augustinus ) atque il-  
lis pie congratulati sunt, & commendaverunt se  
orationibus eorum, & trahentes cor in terra abie-  
runt in palatum. illi autem affigentes cor calo-  
mancerunt in casa. Et ambo habebant sponsas,  
quæ, posteaquam hoc audierunt, dicaverunt etiam  
ipse virginitatem tibi.

Digna utique hæc Mariano theatro materia  
est, quæ omnes saluberrime poterit docere, qua  
ratione negotium salutis si non unice curare in  
Religione, saltem quibuscunque negotiis de-  
beant antehabere, & Apostolo obsequi sic scri-  
benti 1. Cor. 7. v. 29. & 31. Fratres, tempus bre-  
ve: reliquum est, ut &, qui utuntur hoc mundo,  
tanquam non utantur: præterit enim figura hu-  
ris mundi.

Scena figitur in eremo urbi proxima.  
Pars I. Dabit interioris pugnæ occasionem,  
Pars II. Luctam,  
Pars III. Victoriam.

Chorus

*Chorus I.*

Anthropus felicem insulam frustra in terris  
quærens,

*Chorus II.*

Docetur eandem in cœlis inquirere.

PERSONÆ AGENTES.

S. T.

- D. Christoph. Wilhelm. Carol. Himmelswunder, S.S. Can.  
Stud. *Macarius Anachoreta*.
- D. Tiberius Jos. Christoph. Grossmiller, Theol. Moral. &  
SS. Can. Stud. *Valerius, ex Aula Theodosii M.*
- D. Magnus Dominic. Hartmiller, Phys. Stud. *Anselmus,*  
*ex Aula Theod. M.*
- Nob. D. Ignatius Aloys. Brentano Mezzegra, Phys. Stud.  
*Honorius, Theodosii M. Filius.*
- Prænob. D. Jos. Anton. Emmanuel Gürtner, Phys. Stud.  
*Maxentius, Aulicus.*
- D. Jos. Ant. Klingenbeck, Phys. Stud. *Philotheus, Macarii Discipulus.*
- D. Fr. Xav. Schwegerle, Phys. Stud. *Sceva, Venator.*
- D. Jos. Faltinger, Phys. Stud. *Aleda, Venator.*

PERSONÆ CANENTES.

Ant. Jos. Hueber, *Rhetor, Mus. ad S. Georg. Anthropus.*

Jos. Mang, *Gramm. ex Sem. S. Jos. Emissarius Circes.*

Jos. Schreyer, *Rudim. ex Sem. S. Jos. Doctor Cœlestis.*

*Socii Emiss.*

Andreas Wörle, *Rhetor ex Sem. S. Jos.*

Michael Hell, *Rhetor. Mus. ad S. Mauritium.*

Meinradus Heichlinger, *Poeta, ex Sem. S. Jos.*

Jos. Pellhamer, *Synt. M. Mus. ad S. Crucem*

Arsenius Rid, *Synt. m. ex Sem. S. Jos.*

Nob. Franc. Xav. Delagera, *Gram. ex Sem. S. Jos.*

Jos. Brandmayr, *Gramm. ex Sem. S. Jos.*

Franc. Urban. Dörmor, *Rud. ex Sem. S. Jos.*

Simon Labhart, *Rud. ex Sem. S. Jos.*

Maximil. Wagner, *Rud. ex Sem. S. Jos.*



## CHORUS I.

*Anthropus felicem Insulam frustra in  
terris quærens,*

*Personæ. Anthropus. Ductor Cœlestis. Emissa-  
rius Insulae Circææ. Socii Emiss.*

*Ductor.* Multas hucusque, varias lustravimus insulas.  
Numquid has inter una, una saltem felicitate  
superat reliquas. *Anthropus.* Tace, obsecro, aut  
quid ducta necdum cicatrice vulnus refricas?

## ARIA.

I.

*C*yclopum dic antra, spelæa ferarum,  
Eumenidum domos, cavernas umbrarum;  
Hic fainem vidi rabidam,  
Hic paupertatem laceram,  
Hic bella horrida,  
Tot illinc tædia,  
Labores,  
Tot vanos timores,  
Dolores,  
Insanos furores,  
Sortis ludibria,  
Mortis spectacula.  
Non audii, nisi lamenta, & vœ,  
Non est ex his insulis ulla pro me.

2. Felicem

Felicem quæro insulam,  
 Hic jacere stat anchoram:  
     Figere perpetuum  
     Hic stat domicilium.  
 Illas ego insulas  
 Infortunatissimas  
     Horreo,  
     Fugio.

At hem! quid audio? quæ hæc tripudia tubas inter, &  
 tympana? *Ductor.* Læta hinc cape auguria, fortasse felix  
 non procul abest insula.

## Chorus Sociorum Emiss.

*Omnes.* Jo! ter felices nos!  
     Diis læti tura damus,  
     Dabunt illi, quod amamus:  
*Soc. 1.* Jupiter Bos vitulos,  
*Soc. 2.* Grandes Juno titulos,  
*Soc. 3.* Plutus aurum, *Soc. 4.* Mavors laurum;  
*Soc. 5.* Plena Bacchus pocula:  
*Soc. 6.* Venus mille gaudia.  
*Omnes.* Lætus vernet vitæ flos!  
     Jo! ter felices nos!

*Emiss.* Eja! sic belle socii: juvat, dum sunt, frui deliciis:  
 hæc felix vita est, plena illecebris. - - - quos novos hic  
 video hospites? - - Salvete, quicunque sitis. Si pla-  
 cet, meam, quæ prope est, insulam videte. *Anthropus.*  
 placet, placet, si Felix, si beata sit; hanc unice quaeri-  
 mus, & utinam! - - *Emiss.* parce metu, mitte gemitus.

## ARIA.

*V*el ultra metas Herculis  
 Protende carbasa,  
 Tam voluptatum fertilis,  
     *Huic* similis  
     Non erit insula.

Quod

Quod libet, hic liber audebis,  
Nec Regem, nec legem timebis,  
    Hic nectare fontes,  
        Hic montes  
Te aureis curis faginant.  
Hic oscula rosæ propinant,  
    Nec armant satellite se.

2.

Honorum hic emporia  
    Fortuna statuit.  
Clientum vota calida,  
    Pronissima  
Mox aure suscipit.  
Te pullum hic provida sovet,  
Hostiles nec Boreas movet,  
    Tot cumulat dona,  
        Tot bona,  
Ut vanum de Myda commentum  
Jam desinat esse segmentum,  
    Historia fiat pro te.

*Anthropus.* Hæret animus, consilii nescius; fidamne?  
*Emiss.* Age, me sequere cito, cito. *Ductor.* me non in-vito hanc quoque lustrabis insulam. *Anthropus.* Juvat ultimam tentare aleam. *Ductor.* Sic, sic bene: mundi mala hucusque improvidus vidit Anthropus, jam & gaudia videat, intelligat, quam vana omnia, mera somnia. neque tamen supra id, quod potest, tentari clientem patiar: laqueos conteram, tabulam in tempore porrigam.

## ARIETTA.

**S**ic solet Providentia,  
Hæc hominum consilia  
    Dum turbat, dirigit;  
    Sic suos erudit,  
Inspectis vanis, luteis  
Fallacis mundi gaudiis,  
    Cœnum calcare,  
    Cœlum prensare,

CHORUS

# CHORUS II.

Eandem docetur in cælis inquirere.  
Personæ eadem.

*Emiss.* Silentium ! amœnum oculos pascit spectaculum.  
*Anthrop. in Somnis.* Hic fontes, --- hic montes --- hic ro-  
sæ --- *Emiss.* Hein ! Fallaci deceptus fascino, collidente ad  
vota Morpheo, fontes, quos dixi, melleos, montes aureos,  
rosas sine spinis somniat ; Sed somniat miser, somniat.  
*Ductor propere accurrens.* Quid video ? - - - dormit  
Anthropus fraudes inter & pericula medius. Sic mis-  
erum ad felicem abduxisti insulam ? *Emiss.* Brevi tenebit,  
quam suspirat unicum. Voluit mea Domina, ut læta  
inter somnia præsentiret Anthropus, quam felix , cui  
appropiat , sit terminus. *Ductor.* Siccine ? Anthro-  
pe ! eja surge, surge Improvide, Soporem , ne in Lethar-  
gum abeat , cito , cito excute. *Anthrop. evigilans.* ubi  
sum ? - - ubi sui ? - - somnio ? an vigilo ? quid vidi ?  
quid vidi ?

## ARIA.

O Insula felix, o Patria chara !  
Quam sine te mihi est vita amara !  
Te amo,  
Te unam inclamo;  
Te spero,  
Tot viis te quero :  
Curarum tu meta ,  
Tot pugnis athleta  
O insula felix ! decerto pro te ,  
Tu sola es magnes, qui attrahit me.

*Emiss.* Qui placet hæc scena ! numquid amœna ? experi-  
re tantum, constanter ne dubita ridebit tibi serena. *Duct.*  
Apage, novi te, novi insulae Dominam, Circen trivene-  
scam ; meritis præstigijs humanis solet illudere oculis. *Emiss.*  
Inferi ! Inseraque ! hanc lentus injuriam ego tolero , nec  
Dominam vindico ?

## DUETTO.

## DUETTO.

I.

- Emiss.* Impudens os !  
Tune tam temere  
Dentes infigere ?  
*Duct.* Nugas tu vendere ?  
Palpum obtrudere ?  
Mundi hic mos.  
*Emiss.* Do bona, do honores,  
Delicias, amores.  
*Duct.* Dic umbras, dic vapores.  
Amores dant dolores.

2.

- Emiss.* Do jocos, risus, gaudia,  
*Duct.* Quamdiu, & quid postea ?  
Parent ad modicum.  
*Emiss.* Sic meis prodigum  
Ostendo me.  
*Duct.* Ostentas te.  
*Emiss.* Exaltare,  
*Duct.* Deturbare, { *Emiss.* Hæc mea  
*Emiss.* Recreare, { *Duct.* Hæc tua  
*Duct.* Enecare, { dos.

*Emiss.* Abeo, sed faxo mastigia ! facti pœniteat. *Duct.* Sunt bruta fulmina ; non enim non est consilium contra Dominum. -- Tu vero, quo usque fluctuas ? imbellis etiam ; ut video, trepidas. *Anthr.* Me miserum ! quo tandem me debebo vertere ? *Duct.* edicito, ultra num placet pergere ? *Anth.* Spes nulla dum sulget felicis insulae ? *Duct.* satis tandem datum ausis juvenilibus, vanis conatibus. -- Falleris mi bone ! & o quantum falleris, beatam insulam, felicitatis patriam, dum hoc in orbe quæris ! vitæque dies integros, menses, & annos sic stule te teris. Eja ! erige animos, attolle oculos.

ARIETTA.

## ARIETTA.

**E**n! Regni cœlestis propinqua est spes,  
Hæc meta laborum, hic scopus,  
Vel tenui cursu est opus,  
Ut hoc olympico  
Vincas in stadio,  
Bravium teneas,  
Corona fulgeas.  
Cur igitur terræ infixus,  
Arundine fragili nixus,  
In luto cur hæret immobilis pes?

*Anthr.* Quod ubi jam animus, ubi sensus mei? gloriofa dicta  
sunt de civitas Dei; erravi, erravi haſtenus, toto cœlo  
aberravi, dum sero nimis te amavi. At nunc quam lu-  
bens, quam nunquam mæſtus pro te feram pondus diei,  
& æſtus. *Duſt.* Non tamen condignum hoc Pondus fu-  
turæ gloriæ, quæ revelabitur in te. *Anth.* O divum Pa-  
tria! insula felicissima! imo non insula, sed ipsum gau-  
diorum mare. Liceret utinam vel guttulam de te guſta-  
re! *Duſt.* licebit, hac in eremo ſi lateas procul a ſeculi  
tumultu tot idolorum, quoit vitiorum cultu: vel, talem  
ni placet vitam ducere, hoc moneo, hoc per tuam te fa-  
ludem obſeero, hoc mundo, tanquam non utaris, utere.  
*Anth.* Te ſequar ducem, meis tu tenebris affunde lucem;  
fed quem te memorem? qui tam falubria mihi ingeris  
monita? certe, certe divum progeniem. Fixum eſt igi-  
tur, ſit testis Deus, Cœlo potiri unus deinceps erit labor,  
amor meus,

## ARIA.

# ARIA.

Terra quid jactitas te?  
<sup>I.</sup>  
Luti coagulum, punetum inane,  
Pacis exilium, chaos immane,  
Martis theatrum, spelunca latronum,  
Mortis arena, cubile busonum,  
Mare dolorum,  
Lerna malorum.  
Heu pudet, heu poenitet me  
Amasse te!

## 2.

Cœlum jam attrahit me.  
Hortum, qui Chloride semper lætatur,  
Mare, quod Borea nullo turbatur,  
Portum, secura quo gaudeat ratis,  
Vitam, quæ nullis subjaceat satis,  
Culmen honorum,  
Summam bonorum,  
Te cœlum, o Patria! te  
Stat quærere.

O. A. M. D. D. V. H. et G.



Univ. Bibl.  
München